Quaestio medica Quodlib. Disputationibus exagit. In Scholis medicorum die Jovis 11. Februarii.

D. Valentino Hierosme D. medico Moderatore sapientissimo.

An Mulieri ab Utero quam à Capite plures morbi?

Mulier foeminarum temperatissima in animalium genere sola graviditatis tempore maris affectus eo ad coitus et aliis functionibus tanto imbecillior ac imperfectior, quo frigidior humidior et iracunda magis, et suo vectigali menstruo dotata, varicibus, calvitio, podagra non laborat. Sic eodem suppresso vel effuso varios ac multiplices pro varia ac multiplici partium temperie, situ, numero et conformatione morbos (quorum unicum genus parti soli inest) plerumque experitur. Sed quas partes expedit, vel sterilis orsus et gravidus quas peperit, vel fructuosa esse, iisdem morbis conflictatur. Nec tamen utraque ex toto corpore aequaliter, sed saepius ex utero, et capitis partibus quidem addictissimis, ac reliquo corpori infestissimis aegrotat.

Caput siquidem pituitae fons pueris, mulieribus, et eunuchis humidius reliquo corpori innumeris inde, vaporibus et humoribus à genitalibus tractis, ac decumbentes excipiens numerosos affectus affectas sedi peculiares incurrit, in membranis quidem cephalalgiam quam vena in fronte secta puella aqua, vel sanguinis emissio solvit: in principiis et rectricis facultatis sede, tum depravatas cum abolitas functiones, in ventriculis et ductibus sensus et motus symptomata. A quibus dum sibi cavit cerebrum partium exanguium robustissimum, sororumque eam in partes subjectas ablegat, varios illic morbos ut in pulmone asthma pueris familiare, in ventriculo dyspepsiam, in alvo profluvium, in basi et reliquis obstructiones, in aliis denique partibus alios affectus cuique proprios excitat.

Uterus vero ager naturae foecundissimus ex quo foetus similibus ac mammis numero pares prodeunt ex sanguinis ac utriusque seminis perfusione gaudet: sic iisdem primatus exsiccatur ac contabescit, aut intempestive affluentibus morborum Iliadem contrahit. Hinc uteri inflammatio, stranguriam, ac tenesmum parturiens, erysipelas praegnanti lethale, scirrhus in fundo quam in collo deterior, cancer non attingendus, abscessus, ulceratio, quam non recto puer prodiens aequat, mola à seminis virilis vitio, strangulatio, possis, ac suffitu tollenda, prolapsus, perversio alvo fluente pessima, satyriasis, gonorrhoea rutae ac viticis semine cohibenda.

Purgationem item ab utero suppressam post sextum mensem conclamatam hi fere morbi sequuntur. gravitas et jactatio totius corporis, in illius tumor, ad inguina phyma non excidendum, cordis dolorem, hypochondrii, et lumborum dolor, febris ardens et typhi expers, urina rubra et nigra non omni pessima, hepatis et aliorum viscerum tumores et hydropes, cordis palpitatio, tabes insanabilis, sitis inexplebilis, vomitus quam cibi appetentia maior, impetigines, horripilatio intercalaris, ἀσφυξία, ἀφωνία, ἀγρυπνία, eandem utero immodice factam sequitur virium prostratio, totius corporis refrigeratio et summa extenuatio, sterilitas, utroque semine etiam foecundo permanente, febres biliosas et hecticas, cachexia, lipothymia, syncope quibus somnium ac tandem mors succedit.

Capitis et uteri situs ut plane contrarius, et huius quam illius capacitas ac virium laxitas maior facultasque imbecillior existit: sic maior in hanc quam in illam partem excrementitii humoris toto corpore confluentis copia decumbit. Eius refluxu spinae et colli dolor sentitur magis infestans percipitur. Nec non capitis morbi ut epilepsia non omni aetati curabilis, apoplexia jugularibus venis potius quam reliquis sectis oppugnanda, mania quam sanguis in mammis collectus denunciat, σκότωμα, et melancholia excitatur, ac licet eadem via à capite in uterum multa ruant, quas ipsum malo afficiunt, plura tamen ab utero cui fere totum corpus similes existit, ipsi capiti imminent.

Ergo Mulieri ab Utero quàm à Capite plures morbi.

Asserebat Guillelmus Lusson Lexoviensis · 1574 ·

D. Doctores disputaturi.

M. Joannes faber. M. Guillelmus Cappel. M. Joannes Liebaut.
M. Michael Marescot. M. Nicolaus le Gros. M. Petrus Rauin.
M. Philibertus Laudenot. M. Guillelmus de la Bara. M. Joannes Rochon.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE